

- haecin flagitia facere te ! haec te admittere
indigna genere nostro !” *DE.* oh lacrumo gaudio ! 55
- 410 *SY.* “ non tu hoc argentum perdi’ sed vitam tuam.”
DE. salvos sit ! spero, est simili’ maiorum suom. *SY.* hui!
DE. Syre, praeceptorum plenust istorum ille. *SY.* phy!
domi habuit unde disceret. *DE.* fit sedulo ;
nil praetermitto ; consuefacio ; denique 60
- 415 inspicere, tamquam in speculum, in vitas omnium
iubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi :
“ hoc facito.” *SY.* recte sane. *DE.* “ hoc fugito.” *SY.*
callide.
DE. “ hoc laudist.” *SY.* istaec res est. *DE.* “ hoc vitio datur.”
SY. probissime. *DE.* porro autem . . *SY.* non hercle 65
otiumst
- 420 nunc mi auscultandi. piscis ex sententia
nactus sum : î mihi ne corrumpantur cautiost.
nam id nobis tam flagitiumst quam illa, Demea,
non facere vobis quae modo dixti ; et quod queo
conservis ad eundem istunc praecipio modum : 70
- 425 “ hoc salsumst, hoc adustumst, hoc lautumst parum ;
illud recte : iterum sic memento.” sedulo
moneo quae possum pro mea sapientia :
postremo, tamquam in speculum, in patinas, Demea,
inspicere iubeo et moneo quid facto usu’ sit. 75
- 430 inepta haec esse nos quae facimus sentio ;
verum quid facias ? ut homost ita morem geras.
numquid vis ? *DE.* mentem vobis meliorem dari.
SY. tu rus hinc ibi’ ? *DE.* recta. *SY.* nam quid tu hic agas,
ubi siquid bene praecipias nemo obtemperat ?— 80